

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historia Zaringo Badensis

Schöpflin, Johann Daniel

Carolsruhae, 1765

XIV.

[urn:nbn:de:bsz:31-295118](#)

XIV.

CHARTA CONCAMBII, QUA BURCARDUS BASIL.
EPISCOPUS LOCUM CELLA IN NIGRA SILVA CON-
CREDIT S. ULRICO.

A N N O M L X X X V I I

Ex Tabular. Abbatiae Cluniacenfis.

In nomine sancte & individue Trinitatis. Noverit omnium fidelium
tam futurorum quam praesentium universitas qualiter venerabilis
pater Dominus Vdalricus monachus Cluniacenfis & prior de *Gruningun*
precibus suis impetraverit a Basiliense Episcopo Domino Burcardo, ut
locus ille, qui *Cella* dicitur, qui situs est in nigra silva, in *pago Brisgo-
we*, in *comitatu HERIMANNI Comitis*, per legitimum concambium
ad Cluniacum traderetur, quod concambium ut fieret per advocatum
nostrum Erlewinum, & Seligerum militem ejusdem Ecclesie advoca-
tum, idem Episcopus benigne indulxit, conlaudavit, ac precepto suo
confirmavit. dedit igitur idem advocatus noster Erlewinus super facro-
sanctas Reliquias Basiliensis Ecclesie premium, quod habuimus in villa,
que *Bigingen* vocatur, pro commutatione celle, quam prediximus. Sed
quia quibusdam hoc minus sufficere videbatur, advocatus noster, Domi-
nus scilicet Erlewinus, donavit nobis in loco, qui dicitur *Antparingen*
mansum unum; quem ita partiendo expendimus, ut media pars ejus-
dem ad supplementum concambii adderetur, altera vero, quia locus

D 2

Celle in parochia Ecclesie, que vocatur *Kirichoven*, situs erat pro redimendis ejusdem loci decimis deputaretur. his ita peractis, advocatus Episcopi Seligerus dedit super sacrofancas Reliquias Cluniacensis Ecclesie locum prenominate Celle in propriam & perpetuam potestatem cum omnibus appenditiis & iustitiis suis, videlicet agris, pratis, paucuis, terris cultis & incultis, silvis, molis, molendinis, aquis aquarumve decursibus, exitibus & redditibus, cunctisque locis, que sunt in circuitu ejusdem Celle, a quibus nives per declivia montium dilabi in valles noscuntur. & ut hoc concambium Ecclesie Basiliensi utilius fuisset factum quam non factum, ex parte Episcopi juramentum fecerunt Herimannus de *Pischophingen*, Humbertus de *Untchirichen*, Luitoldus & Solvinus de *Tungen*. In actione & confirmatione hujus concambii aderant testes; quorum nomina subscripta sunt. **B E R T O L F U S D U X,** **H E R I M A N N U S C O M E S,** Ebbo & filius ejus Erchenboldus, Arnoldus, Sieboldus, Ruodolfus, Burchardus, Wernherus, Cuono, item Cuono, Folchardus, Luitfridus, Wolfgangus, Gerunc. anno dominice incarnationis MLXXXVII. iudicet. X. Actum in loco, qui dicitur *Rendelinsum.* (a)

(a) Forte Rindelinsheim, Rendelina Curtis, in Pago Sornegaudiae sita, de qua **A L S A T I A E I L L U S T R.** Tom. I. pag. 637. Locus hic profecto ad Episcopatum Basil. pertinuit.
